

Decretalium Gregorii IX.

Liber IV.

TITULUS I.

De Sponsalibus et Matrimonio.

1. Matrimonium quod in statu innocentiae ad officium naturae et ad mutuum viri et mulieris adiutorium fuerat institutum, (*Gen. II. 18*) quodque, posita hominum integritate, fini suo optime respondisset, in statu corruptae naturae primitivam dignitatem suam non conservavit. Quapropter rerum humanarum restaurator, Christus Dominus, cum voluisset ad primævam institutionem et nobilitatem matrimonium in Ecclesia sua revocare, debuit eidem redemptionis suae virtutem adjungere, gratiam nempe supernaturalem, qua matrimonium sanctificaretur, et conjuges congruis auxiliis munirentur ad fines matrimonii assequendos, et ad onera conjugalis status propria sustinenda. Hinc teste Paulo (*Eph. V.*) assumptum est matrimonium ad significandum et efficaciter imitandum amorem et unionem supernaturalem inter Christum et Ecclesiam. Videlicet conjugalis contractus a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti evehctus est. Quare matrimonium religiosam et sacram indolem ex Christi institutione referens, Ecclesiae potestati subjectum fuit ut disciplinaribus ejusdem legibus regeretur. Merito igitur in Jure nostro specialis tractatio de Matrimonio exhibetur. Quoniam vero Matrimonium naturam integram retinet aliorum contractuum, in quibus ante initam formaliter conventionem potest locum habere promissio de contractu in posterum perficiendo, hinc etiam inducitur ut matrimonio præmitterentur *sponsalia*.

Sit igitur primo sermo:

De Sponsalibus.

2. Sponsalia aliquando sumuntur ad exprimendum matrimonium ratum sed nondum consummatum; et dicuntur *Sponsalia de præ-senti*. Ita in *Capp. 22. et 31. h. t.*, et passim in jure. Verum in stricto tituli sensu, sponsalia sumuntur per relationem ad contractum matrimonii et definiuntur '*Promissio vera, libera, mutua et signo aliquo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas de jure habiles*'.

3. Promissio vera dicitur 1^o. per oppositionem ad *simulatam* seu fictam, quæ proprie dictam obligationem non parit, quamvis subsequuta fuerit carnalis copula. Quo in casu erit utique contra simulantem actio stupri vel dolosæ deflorationis, non autem poterit urgeri actio ex contractu sponsalicio.

4. De hac re species reperitur in *cap. 26. h. t.* in quo proprie agitur de matrimonio inito per consensum fictum, sed theoria in eodem capite descripta applicatur etiam sponsalibus. Fictio autem etiam exterius innotescere debet atque probari, secus enim sponsalia vel matrimonium sustinentur coram Ecclesia, et verificatur casus contrariæ sententiæ inter forum externum et forum internum.

5. Vera etiam 2^o. promissio necessaria dicitur in sponsalibus ad excludendam quamcumque velleitatem, seu tendentiam licet vehementem aut propensionem amicalem, præsertim inter juvenes frequentem, per verba aut signa amatoria manifestatam. Immo ad contrahenda sponsalia simplex desiderium et propositum nubendi, licet verbis expressum, non sufficit, sed necessaria est seria et proprie dicta promissio, qua quis se adstringit ad contrahendum aliquando matrimonium. Hinc sponsalia constituunt proprie dictum contractum.

6. *Libera* debet esse promissio; ex eo enim enascitur legitima obligatio, cujus observantia urgeri potest etiam coram iudice. Libertas autem duo secumfert 1^o. ut qui contrahit sponsalia intelligat quid agit, et adhibeat sufficientem advertentiam et deliberationem. Hinc infantes ante usum rationis, amentes, et ebrii contrahere sponsalia nequeunt. *Cfr. c. 24. h. t. et can. 2. caus. 32. q. 7.*

7. 2^o. Libertas secumfert immunitatem a *vi* et a *metu*. Quod sponsalia sint ipso jure nulla si contrahantur sub influxu vis, dubium esse nequit. Vis enim est '*majoris rei impetus qui repelli*

non potest' (1. 2. ff. quod metus causa). Quare sub influxu vis consensus non habetur, sine quo sponsalia consistere nequeunt.

8. Quid vero si contrahantur sub influxu metus? In genere certum est actiones sub metu positas esse ipso jure validas. Licet enim ob periculum imminentis vel futuri damni mens trepidet, tamen naturalis consensus semper remanet. Hinc adagium commune '*coacta voluntas semper est voluntas*'. Verum actus sub metu positi, licet validi sint, tamen ad petitionem partis per metum læsæ a iudice rescinduntur.

9. Nonnulli autem actus sub metu positi ex juris dispositione sunt per se invalidi. Inter istos est præsertim matrimonium, ita ut matrimonium ipso jure non valeat, quoties fuerit contractum sub influxu metus extrinseci gravis, injuste et directe incussi ad extorquendum consensum.

Quid dicendum de sponsalibus? Nonnulli Doctores adhærentes Sanchesio (*L. 4. disp. 7. n. 4.*) ob nexum et relationem inter matrimonium et sponsalia, quæ in eundem scopum tendunt, tenent etiam sponsalia sub metu inita eodem modo ac matrimonium esse ipso jure nulla. Alii autem doctores tenent ipso jure valere, sed rescindi posse a iudice, petitione partis, quæ metum passa est.

10. Si theoretice inspiciatur quæstio melior videtur altera opinio. Leges enim quos ipso jure nullos actus voluerunt, explicite nominarunt, uti ex. gr. matrimonium, professionem religiosam, testamentum. Igitur si de sponsalibus siluerunt, dicendum est sponsalia sub metu gravi contracta per se valida esse sed rescindi posse ad petitionem partis. Ratio autem intrinseca disparitatis adest inter matrimonium et sponsalia. Matrimonium enim cum sit Sacramentum excludit rescindibilitatem. Etenim vel statim nullum est, vel si validum est, simul est natura perpetuum. At sponsalia rescindi possunt.

11. *Mutua* debet esse in sponsalibus promissio. In jure enim sponsalia accensentur inter contractus bilaterales, in quibus ex utraque parte enascitur obligatio. Quare simplex promissio ab una parte proposita non constituit contractum sponsalium, licet ab altera parte fuerit acceptata.

12. Quid ergo si una pars nuptias promiserit, et altera pars solummodo acceptaverit promissionem, quin repromitteret et sese obligaret?

Profecto si pars quæ promittit intendit promittere animo contrahendi sponsalia, nihil valet promissio quia implicitam habet conditionem, dummodo altera pars repromitteret. Quod si una pars simpliciter et gratuito voluerit alteri promittere matrimonium futurum, valebit utique promissio, ita ut altera pars possit urgere implementum ejusdem, verum non habebitur contractus sponsalitiis. Hinc 1^o. non dabitur in hypothesi actio sponsalium, 2^o. non exoritur ex illa promissione impedimentum publicæ honestatis, de quo in *c. 4. h. t.* Hinc remissa vel sublata obligatione promissionis alterutra pars poterit licite inire matrimonium cum consanguineo alterius in primo gradu. Hinc etiam manente eadem obligatione, matrimonium contractum ab alterutra parte cum consanguinea alterius erit validum.

13. In sponsalibus tum promissio tum repromissio debet exprimi *signo aliquo sensibili*. Constituunt enim contractum bilateralem in externa Ecclesiæ societate servandum.

14. Quæritur 1^o. An proposita ex una parte promissione, sufficiat ex altera mera taciturnitas? Profecto ad sponsalia constituenda sufficit ut implicite manifestetur repromissio. Hinc juxta regulam 43. Juris in VI^o. 'Qui tacet consentire videtur' possent fortasse valida renunciari sponsalia ex solo alterius partis silentio.

Verum cum communi sententia dicendum est argui non posse repromissionem ex sola taciturnitate. Nam consensus ex sola taciturnitate non est verus consensus, sed solum præsumptus, qui admittit contrariam probationem, imo eliditur præsumptione contraria, præsertim in causis, quæ magnum præjudicium afferre possunt, quemadmodum est matrimonium et sponsalia. Qui enim tacet in istis causis videtur consentire solum in quantum sibi favet silentium, non autem in commodum alterius. Videlicet tacere videtur saltem eo fine ut adhuc possit deliberare utrum promittere vel consensum negare expediat.

15. Quæritur 2^o. Quænam verba vel signa requirantur in sponsalibus?

Respondemus ad contrahenda valide sponsalia non requiri verba solemnia, neque necessariam esse aliquam solemnitatem. Sufficiunt enim verba vel signa quæ juxta morem præsertim loci, satis exprimunt consensum contrahentium (*cap. 7. h. t.*). Hinc etiam sponsalia clandestina obligant in conscientia et si possunt probari etiam in foro externo coram iudice Ecclesiastico sustinen-

tur. Concilium enim Tridentinum (*Sess. 24. De Matrimonio*) rejecit matrimonia clandestina et nihil dixit de sponsalibus. Jure ergo communi sponsalia clandestina valent.

16. Quare cum potestas Episcoporum non sit supra jus commune, sequitur non posse Episcopos statuere aliquam solemnitatem uti necessariam ad valide contrahenda sponsalia. Unde S. Congregatio Concilii non semel et inter alias in *Causa Melphitensi*, proposita mense Julio 1865, reprobavit decretum episcopale, quo declarabantur invalida sponsalia quæ non contraherentur coram Parocho loci (*Cf. Ben. XIV. De Syn. Diœces. L. 12. c. 5.*).

17. Quæritur 3^o. Quid dicendum si dubium exurgat de valore sponsalium ex ambiguitate verborum vel signorum?

Resp. Quoad *forum internum* si quis revera dubius sit utrum promiserit nec ne matrimonium, non est obligandus in conscientia ad illud contrahendum. Quia propter dubium non est aliquis cogendus ad suscipiendam certam et gravem obligationem.

18. Hoc principium adoptari potest etiam in *foro externo* quando verba vel signa ambigua sint et incerta, ut scilicet non debeat sustineri obligatio sponsalium. Valet enim etiam in casu regula *cap. 3. De Probationibus* '*Promptiora sunt jura ad absolvendum quam ad condemnandum*' et reg. 30. Juris in VI^o. *In obscuris minimum est sequendum.*

19. Quod si contra negantem militent gravia judicia, poterit iudex illum cogere ad sese purgandum per juramentum. Quemadmodum enim notat glossa in *cap. 18. De homic. volunt.* quando controversia agitur de conscientia alicujus, depositio ejus juramento firmata maxime attenditur.

20. Dixi non esse admittendam in foro externo obligationem sponsalium, quando verba vel signa clara fuerint, et determinata, contra negantem lis decidenda est; nec ei credendum est, licet paratus sit juramento confirmare assertionem suam, qua contendit se vel per jocum, vel per fraudem, ad obtinendum usum corporis alterius, nuptias promisisse.

21. Quæritur 4^o. Quid in specie dicendum sit de copula carnali, an scilicet haberi debeat veluti signum sufficiens contractorum sponsalium?

Resp. In titulo *de Adulteriis et Stupro*, videbimus quando ex copula carnali absque ulla relatione ad sponsalia oriatur obligatio contrahendi matrimonium. Nunc igitur consideramus copulam

carnalem in ordine ad sponsalium contractum. In genere copula carnalis inter duos per se non est signum sufficiens consensus sponsalium, sed potius præsumitur posita ad explendam libidinem. Verum si femina fuerit honesta, et si præsertim fuerit virgo, simulque præcesserit tractatus matrimonii, idest clara et certa promissio matrimonii ex parte viri, copula carnalis jure meritoque accipitur in foro externo ceu signum præstiti consensus mulieris, quæ non præsumitur corporis sui copiam fecisse, nisi animo matrimonii ineundi per quod honori suo consultum fore confidit. Hæc duo elementa simul concurrere debent ad habendum contractum sponsalium, nam tota res præsumptionis est. Nec enim ex solo amore et signis amatoriis præsumi potest ex parte viri intentio suscipiendæ obligationis ineundi matrimonium, nec ex parte mulieris præsumi potest contractus sponsalium, nisi mulier honestate fuerit decorata. Quare ob corruptos præsertim in aliquibus regionibus populi mores factum est ut in omnibus ferme controversiis in Sacra Congregatione Concilii nostra ætate propositis, causæ de valore sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam præcesserint amatoria verba, et familiaris frequens conversatio.

22. Tandem sponsalia contrahi debent inter *personas de jure habiles*; scilicet nullum intercedere debet impedimentum vel dirimens vel impediens, quo matrimonium prohibeatur. Nemo enim potest sese obligare ad id quod implere nequit, sive quia nullus esset actus, sive quia esset illicitus. Ad rem facit reg. 58. Juris in VI^o. Porroabilitas in casu necesse non est ut sit *actualis*, sed sufficit *habitualis*, idest sufficit ut persona capacitatem habeat, qua aliquando fiat habilis ad contrahendum matrimonium. Hinc valent sponsalia impuberum.

23. Sponsalia contrahi possunt *vel per se vel per alios*. Contrahuntur per alios scilicet per procuratorem. Juxta *cap. ult. De Procurat. in VI^o*. matrimonium per procuratorem potest contrahi; a fortiori igitur contrahi possunt sponsalia per procuratorem. Verum non sufficit generale mandatum sed requiritur mandatum speciale in determinatam personam cum qua quis vult sponsalium contractum celebrare.

24. Juxta *cap. un. de Despons. impuber. in VI^o*. parentes contrahere possunt sponsalia pro filiis suis puberibus vel impuberibus. Hæc vero sponsalia ut valeant debet accedere consensus vel ex-

pressus vel saltem tacitus ipsorum filiorum. Hinc sponsalia a parentibus pro filiis contracta proprie dici nequeunt contracta per alios. Consensus filiorum sufficit ut sit tacitus, qui consensus verificatur si filii præsentibus adsint et taceant, dum parentes eorum nomine matrimonium futurum promittunt. Tale enim est negotium et a talibus personis geritur, ut filii indifferentes non possint permanere, sed debeant vel consensum præbere, vel adversam voluntatem manifestare. Hinc valet reg. 43. Juris in VI^o. '*Qui tacet consentire videtur.*'

25. Diximus *si præsentibus* adsint; nam si parentes in absentia filiorum pro eis sponsalia contrahant, non sufficit ad eorum valorem ut filii contractum sponsalium quomodocumque sciant, et taceant, sed necesse est ut ratum habeant contractum celebratum a parentibus. Ita *in cit. cap. un. De desp. impub. in VI^o. § Porro*. Hæc vero ratihabitio potest fieri *vel tacite vel expresse*. Ut autem tacite dicantur filii consensisse in contractum sponsalium, a parentibus in eorum absentia celebratum, requiritur talis manifestatio contractus, et talis taciturnitas filiorum, quæ merito præsumatur eorum adhæsiō voluntati parentum. Hæc omnia verificari dicunt auctores, si ipsis parentibus manifestantibus etiam per epistolam contractum sponsalium filii taceant. Hoc enim in casu filii sese indifferentes gerere nequeunt, sed saltem ex honestate tenentur vel parentibus consentire vel illico contrariam pandere voluntatem.

26. Sponsalia contrahi possunt *vel absolute, vel sub conditione*. Cum sponsalia considerentur ceu alii contractus, nil mirum si iisdem apponi possunt conditiones, quarum effectus est ut suspendatur obligatio matrimonium contrahendi usque ad conditionis exitum. Quæ conditiones apponi possint in sponsalibus, et quanti valeat specialis quædam conditio apparebit ex dicendis in *tit. 5. 'De conditionibus apposis'*.

27. Quæritur utrum in sponsalibus locum habere possint *arrhæ* et *pænæ* contra injuste resiliences a sponsalium contractu. Arrhæ nomine venit quidquid a sponsis vel eorum parentibus sibi invicem traditur, quasi pignus in securitatem matrimonii futuri sub ea lege, ut qui absque causa recedat a sponsalium contractu, amittat quod alteri dedit, et quod recepit restituere debeat. Arrhæ distinguuntur a jocalibus aliisque donationibus, quæ non fiunt in pignus secuturi matrimonii, vel sub implicita conditione ut sequatur matri-

monium, sed solum in signum affectus, ac proinde obligatio non urget res acceptas restituendi si matrimonium non celebretur.

Arrhas in contractu sponsalium locum habere posse tradunt communiter doctores, innixi dispositioni juris Cæsarei in *leg. I. C. et 18. D. 'De Sponsalibus'* quas leges Jus Canonicum non reprobavit, immo probare videtur in *Can. 14. Caus. 27. quæst. 2.* nec non in *canonibus 3. et 7. Caus. 30. q. 5.*

28. Quæritur etiam utrum pœnæ quoque adjici possint sponsalibus; ex. gr.: si mecum matrimonium non contraxeris, in pœnam centum mihi solves? Resp. Certum est Romanorum Jus prohibere quominus stipulatio pœnalis contractibus sponsalitiis adjiciatur. Ita in *l. 5. c. h. t. et in 1. 134. § 8. De verborum obligat.*

29. Si Jus canonicum consideremus, in varias abeunt sententias expositores. Communis sententia est eorum qui cum Abbate Panormitano in *cap. 29. h. t.* tenent etiam Jure canonico interdicti in sponsalibus conditiones pœnales. Eorum ratio potissima est dispositio cit. *cap. 29. h. t.* in quo pœna sponsalibus adnexa reprobatur. Sponsalia contracta fuere a quadam Teberga infra septennium cum quodam Petro filio Benedicti de Alferis. Parentes qui aderant, pœnam adjecerunt ab ea parte solvendam quæ a sponsalibus recessisset. Accidit ut inde Teberga facti pœnitens alteri viro nuberet. Quare Benedictus de Alferis judicio pulsavit Gemman Tebergæ matrem ut pœnam statutam solveret. Res a Gemma relata est ad Gregorium IX., qui judici mandavit, ut adhibita etiam ecclesiastica censura, ab extorsione hujus pœnæ Benedictum desistere faceret.

30. Adversæ sententiæ patroni propugnant, dispositionem capituli alienam esse a quæstione præsentis, 1º. quia species capituli est de sponsalibus ante septennium contractis, quæ nulla sunt per se ob defectum usus rationis 2º. quia saltem ipsis applicanda esset theoria sponsalium impuberum, a quibus adveniente pubertate impune recedere licet, ob quas causas Pontifex pœnam reprobavit. Quare dici potest Jus canonicum silere in hac re, idest non reprobare pœnam; quæ in sponsalibus validis et irretractabilibus apponatur. Confirmant propriam opinionem ex validitate arrharum quæ juxta communem sententiam Doctorum locum habere possunt in sponsalibus. Porro arrhæ indolem referunt pœnæ, præsertim in sententia Doctorum valida facientium sponsalia quibus pactum

adnectitur, quo caveatur eum qui recesserit a data fide, soluturum fore arrhas in duplum vel in triplum.

31. Ex duabus expositis sententiis prior probabilior videtur. Non solum enim Pontifex absolute reprobavit pœnam sponsalibus adjectam, sed etiam rationem suæ decisionis proponit quæ omnibus prorsus sponsalibus applicari potest. Ratio hæc est quia matrimonia libera esse debent; ideoque nullam facit mentionem Pontifex ætatis contrahentium, vel impubertatis, quam facere profecto debisset si dispositionem suam de nullitate pœnæ adjectæ ad sponsalia nulla, vel ad sponsalia impuberum restringere voluisset. Cæterum relate ad comparisonem pœnæ cum arrhis animadverti potest aliquam adesse discrepantiam inter utrasque. Nam arrha, quæ tradita est in securitatem matrimonii non influit in libertatem eodem modo quo influit pœna. Sane 1º. arrhæ solent constitui in modica quantitate. 2º. Quod solutum est si amittatur, minus displicere solet quam si aliquid de novo est solvendum, et magis si solutio facienda est in pœnam.

32. Tamen in eorum sententiam facile descendam, qui dicunt valere pœnas, quæ sponsalibus adjiciantur ab extraneis. Pœna enim solvenda ab extraneo non videtur adeo influere in libertatem matrimonii. Namque in casu solutio pœnæ haberi potest tamquam factum alienum quod partes contrahentes directe non tangit.

De effectibus Sponsalium.

33. Duplex est effectus sponsalium 1º. *Impedimentum publicæ honestatis*, de quo inferius suo loco sermo erit. 2º. *Mutua obligatio contrahendi matrimonium*. Videlicet sponsalia valide contracta sive clam sive cum aliqua solemnitate, sub gravi ex titulo justitiæ obligant ad matrimonium celebrandum. Hæc autem obligatio non solum urget in foro conscientiæ, sed etiam valet in foro externo, ita ut coram judice detur actio ad obtinendum adimplementum obligationis ejusdem contra reluctantem. Etenim sponsalia constituunt contractum mutuum, seu bilateralem, et utrique onerosum in materia gravi, prout est conjugalis status hominis.

34. Hæc est propria notio, juxta principia juris nostri, de sponsalibus (*Cap. 10. et 17. h. t. et in canonib. 46. et 47. Caus. 27. q. 2.*). Quidquid sit de jure civili Romanorum, in quo licet initio sponsalia per stipulationem contraherentur, ac proinde parerent *actionem civilem ex stipulato*, tamen inde mutatis in pejus mori-

bus factum est ut sponsalia in irritum sæpe sæpius cederent, et juxta legem *1. c. De sponsalibus*, liceret utrique ex contrahentibus conditioni desponsatæ renuntiare et alteri nubere. Quare sponsalia in *L. 1. ff. h. t.* dicta sunt *nuda mentio et repromissio futurarum nuptiarum*.

35. Legislatio civilis pro Regno Italiæ §§ 53. et 54. contra resilientem injuste a sponsalibus, et quidem in forma solemnibus contractis; solummodo admittit actionem, infra annum promovendam ad refectionem pensarum assequendam.

Quod si sponsalio contractui adjectum fuerit juramentum, præter obligationem justitiæ adest etiam obligatio religionis, quæ obligatio religionis est distincta ab obligatione justitiæ et quandoque juxta *Cap. 16. h. t.* et juxta principium, quod regit materiam juramenti, urget, licet obligatio justitiæ non possit urgeri.

36. Quæritur quando urgeat obligatio sponsalium. Profecto si adjecta fuerit *conditio* vel fuerit *præfinitum tempus* ad celebrandum matrimonium obligatio non urget antequam conditionis eventus contingat, vel terminus designatus adveniat. Juxta enim *reg. 85. Juris in VI. Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur*.

37. Quod si *pure et simpliciter* contracta fuerint sponsalia, *rigore juris* statim *cedit et venit* dies explendæ obligationis. Talis enim est *indoles contractuum*, quibus nec dies adjectus fuerit nec *conditio*. Verum ipsa *præsumptiva intentio* utriusque sponsi suadet aliquod tempus sibi invicem concessisse ante celebrationem matrimonii, secus enim si omnia in promptu fuissent, omniaque plana et expedita, certe non sponsalia sed ipsum matrimonium contraxissent.

Si quærat autem quodnam sit tale tempus, respondemus in foro conscientiæ unam partem teneri ad contrahendum matrimonium, quando altera parte exquirente, ipsa nullo probabili obstaculo detineatur.

In foro autem externo cum jus positivum taceat æqua ad contrahendum dilatio a iudice definiri poterit.

38. Quæritur an possit compelli ad matrimonium is, qui absque justa causa renuat implere promissionem sponsalium.

Binæ dispositiones, quæ sibi invicem adversari videntur, in Jure nostro exhibentur. In *cap. enim 10. h. t.* traditur virum quemdam renuentem, observare fidem datam in sponsalibus, in iudicium vocatum fuisse. Cum adhuc renueret matrimonium con-

trahere cum sponsa, iudex ex postulavit a Romano Pontifice, quid esset agendum. Alexander III. respondit, virum esse monendum, quod si monitis non acquievisset absque legitima causa, ait Pontifex, ecclesiastica censura esse compellendum, ad recipiendam mulierem in uxorem, et maritali affectione tractandam. In *cap. 17.* autem *eodem tit.* quæsitum est a Lucio III., quid esset agendum in quæstione sponsalium, in qua mulier renuebat contrahere matrimonium, ad quod contrahendum sese per sponsalia juramento firmata obstrinxerat. Romanus Pontifex respondit monendam esse potius mulierem, quam cogendam, et rationem affert quia coactiones solent habere difficiles exitus. Ipso primo intuitu oppositio inter utrumque caput apparet. In *cap. enim 10.* traditur reluctantem posse mediis juridicis compelli ad observandam fidem datam in sponsalibus; in *cap. autem 17.* coactio juridica excluditur, et potius monitio faciendâ proponitur.

39. Dicendum non est cum aliquibus canonistis in *cap. 10.* agi de viro reluctante, in *cap. autem 17.* agi de muliere, quæ majori indulgentia digna est. Nam quando sermo est de obligatione suscipienda utique jura sunt mitiora mulieribus præ viris, sed quando agitur de obligatione legitime suscepta jus non distinguit inter virum et mulierem, sed obligatio ab utroque adimplenda est. Nec admitti potest explicatio eorum, qui docent illud *potius cap. 17.* idem significare ac *prius*, quasi diceret Pontifex, *prius* mulier monenda est, deinde cogenda. Nam ratio adducta a Pontifice excludit coactionem sive ante sive post monitionem.

40. Quomodo ergo conciliantur hæc duo capita? Resp. Verior conciliatio et in praxi tenenda est ut dicamus in *cap. 17.* tradi regulam generalem, in *cap. autem 10.* exhiberi exceptionem. Prior ratio hujus conciliationis deducitur ex diversa forma eorundem capitum. In capite enim 17. quæstio proponitur et resolvitur in forma generali; in capite autem 10. quæstio peculiaris et specifica tractatur, relate ad aliquod matrimonium, inter quædam individua contrahendum.

41. Secunda ratio deducitur ex indole *cap. 10.* In eo enim coactio moralis censurarum non jubetur absolute, sed quia in casu proposito Pontifici verificabatur ratio specialis. Scilicet tales circumstantiæ concurrebant ob quas non timebantur mali exitus matrimonii. Unde Alexander III. noluit constituere legem generalem de coactione semper adhibenda contra resilientem a spon-